

§. II.

Ex prolata definitione apparet, Objectum Dialogi esse rem ad philosophiam vel facultatem civilem pertinentem. Proprium enim philosophorum dialogum fuisse Lucianus testatur, & Apulejus in *Floridis* scribit: Dialogos laudatos esse Philosophis. Ex eademque definitione porro admonemur, τὸ πρόπεπτον, quod Latini decorum vocant, a personis τὸ πρόπεπτον colloquentibus bene observandum esse, in quibus sive deco- spectandum & genus, & quod quisque exequitur ^{rum a per-}_{sonis collo-} officium. Est autem, docente Cicerone *Lib. I. de Officiis*, decorum nihil aliud, quam actio ei personæ conveniens, quam nobis vel natura, vel ju- ^{bene obser-}_{vandum.} dicium imposuit. Id quod & Aristoteles *Lib. III. Decorum Eudemiorum Cap. VI.* declarat, cum docet decorum quid sit? dignitati congruere debere, neque enim decere, quod a dignitate alienum est, nec non *Lib. III. Nicomachiorum*, cum in omnibus rebus tuendi decori causa personæ & temporis, & rerum ipsarum rationem haberi oportere præcipit. Ac Crassus apud Ciceronem *Lib. I. de Oratore* tradit, eum, qui deest officio, a Latinis ineptum dici. Nam, inquit, qui aut tempus quid postulet, non videt, aut pluraloquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere inconcinnus, aut multus est, is ineptus vocari solet.

§. III.

Dixi in personis colloquentibus considerandum esse & genus, & quod quisque exequitur, officium